

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christian Woldenberg Albert Alers

**Institutionum Domini Nostri Iustiniani. P. P. A. Notis perpetuis in usum  
Docentium, & Discentium Illustratarum. Disputatio Prima. De Prooemio Et Iustitia  
Et Iure**

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732600316>

Druck Freier  Zugang



Vorwort, Berechtigung, Recht

R U jir 1652.  
Christian Voldenborg, Pres:  
Albert Alard, Resp.



INSTITUTIONUM DOMINI  
NOSTRI JUSTINIANI.

P. P. A.

Notis perpetuis in usum Docentium,  
& Discentium Illustratarum.

DISPUTATIO PRIMA.  
DE

PROOEMIO ET  
JUSTITIA ET JURE.

*Quam*

In Illustri Rostochiensi Academia

P R A E S I D E

Clarissimo & Consultissimo

DN. CHRISTIANO WOLDEN-  
BERGIO, Crempa Holsato.

Phil. Mag. & J. U. Lic.

Eruditorum Disquisitioni subiecte  
ALBERTUS ALARDUS,

CREMPENSIS.

Habebitur 25. Feb. ipso Matthia die.

Disputando Veritas eruitur,

Sic testatur Arcadius Charissus de Herennio Modestino  
in L. 28. §. 26. ff. de munere & hono.

—(o) —

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. 1652.

47



# INSTITUTANE VOCANDA SINT HÆC

LEGUM CUNABULA,

ut Justinianus appellat, an INSTITUTIONES?

Ti sinter multos jam diu obtinuerit INSTITUTA vocari hæc Juris prudentiæ Elementa: quippe cum & Syponentius INSTITUTA interdum, decreta legum atque sanctiones dici affirmet, & ita Justinianum opus suum Elementorum inscripsisse (id quod & ipse agnoscit Sabellicus) & in Pandectis Græcis legatur, non Iuris Investigatio*s* (id quod in Budæanis Institutionibus annotatum est:) plures tamen Laurentium Vallensem, atque alios quosdam humanitatis Professores magis sequuntur: qui instituta interpretantur bonos mores, consilio & ratione sumptos, domesticans disciplinam, quæ literis non mandantur, sed observantur communī opinione virorum bonorum per quandam consuetudinem. Unde & apud Valerium M. titulus est. De institutionis antiquis: quasi de Moribus antiquis. Et Quintil. lib. i. Institution. Oratori. Ubi de Chrysippo loquitur. Nam is, inquit, quanquam triennium nutrīcibus dederit tamen ab illis quoque formandam quam optimis institutis mentem infantium judicat. Cur autem ad literas non pertineat ætas, quæ ad mores jam pertinet eandem rem appellans Instituta & mores. Institutiones autem sunt præceptiones quibus instituuntur & docentur homines: ut sunt libri ab eodem Quintiliano inscripti Institutiones Oratorie, à Lactantio, Institutiones divinæ, ab Erasmo institutio Principis Christiani, ab Aldo Institutiones Grammaticæ, & ita ab aliis multis autoribus: ut hinc scilicet hoc opus Institutiones dici etiam posse intelligas, quod præceptiones ac documenta, quædam seu elementa totius legitimæ scientiæ contineant, quibus jam inde ab initio cupida legum juventus imbuatur. Quarum & A. Politianus Miscellan. c. 84. commenminit his verbis: Institutiones hæc, que vocantur in Jure Civili, Justiniani Principis nomine editæ, sed à Tribonianō tamen doctisque aliis viris compositæ, etiam Græcè scriptæ sub eodem prorsus intellectu reperiuntur, nisi quod ritus quidam consuetudinesque Romanorum veteres uberioris aliquanto & laxius in Græco ipso quam in Latino Codice referuntur, ut peregrinis hominibus, atque à Romanorum more consuetudineque alienis, res tota penitus innotesceret. Nihil igitur, aut parum quidem interest, ut ex supradictis locis colligere liceret) sive INSTITUTA sive INSTITUTIONES hæc Juris Justinianæ Elementa quis appellat, cum & decreta legum & morum componendorum rationem præferant. Quorum te voluimus monitum, humanissime lector, ut cum Jurisprudentiâ, verborum quoque peritiam ibi adsciscas.

A 2

PRO-

# PROOEMIUM DE CONFIRMATIONE INSTITUTIONUM.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI  
IMPERATOR. CÆRAR. FLAVIUS.  
JUSTINIANUS. ALEMANICUS. GOTTHICUS,  
FRANCICUS. GERMANICUS.  
ANTICUS. ALANICUS. VANDALICUS.  
AFRICANUS. PIUS. FELIX. INCLYTUS.  
VICTOR. AC TRIUMPHATOR.  
SEMPER AUGUSTUS. Cu-  
pidæ legum juventuti. S.

## I. De Usu armorum & Legum.

1. Thesis.

2. Imperatoris necessaria sunt arma & leges.

2. Utilitas.

3. Secunda.

4. Tertia.

Hoc & seq.

§. ad hy-

pothesin

trasfertur

1. Justinianus armis

& legibus

floruit.

2. Bellicae e-

jo facinora

3. Eiusdem

leges.



Mperatoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: 2. Ut utrumque tempus, & bellorum & pacis, recte possit gubernari. 3. Et Princeps Romanus non solum in hostilibus præliisvictor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat. 4. Et fiat tamen juris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator magnificus.

## I. De bellis & Legibus Justiniani.

1. Quorum utramq; viam cum summis vigiliis, summaq; providentiâ, annuente Deo perfecimus. 2. Et bellicos quidem sudores nostros Barbaricæ gentes sub juga nostra redactæ cognoscunt: & tamen Africa, quam aliæ innumeræ Provinciæ, post tanta temporum spatia, nostris victoriis à cœlesti Numine præstitis, iterum ditio ni Romanæ nostroq; additæ Imperio protestantur. Omnes

mnes Verò populi, legibus tām à nobis promulgatis,  
quām compositis reguntur.

### 1. De Compositione Codicis, & Pandectarum.

2. 1. Et cum sacratissimas constitutiones antea <sup>1. Composi-</sup>  
confusas in luculentam ereximus consonantiam. 2. Tunc <sup>2. Compo-</sup>  
nostram extendimus curam ad immensa veteris pru- <sup>2. Compo-</sup>  
dentiæ volumina, & opus desperatum, quasi per me- <sup>sitio Pan-</sup>  
dium profundum euntes, cœlesti favore jam adimple- <sup>declarum.</sup>  
vimus.

### 1. Detempore, autoribus, fine & utilitate, compositionis Institutionum.

3. Cumq; 1. hoc Deo propitio peractum est, 2. Tri-<sup>1. Tempus.</sup>  
boniano viro Magnifico, Magistro, & Exquæstore sa-<sup>2. Compo-</sup>  
cri palatii nostri, & Exconsule, nec non Theophilo & <sup>sitores &</sup>  
Dorotheo viris Illustribus & Antecessoribus (quorum <sup>eorum au-</sup>  
omnium, solertiam, & legum scientiam, & circa no-<sup>toritas.</sup>  
stras jussiones fidem, jam ex multis rerum argumentis  
accepimus) convocatis, mandavimus specialiter, ut  
ipsi nostrā autoritate, nostrisq; suis inibis Institutio-  
nes componerent: 3. Ut liceat vobis prima legum cuna-<sup>3. Utilitas</sup>  
bula, non ab antiquis fabulis discere, sed ab imperiali <sup>prima.</sup>  
splendore appetere: & tam aures, quām animi vestri  
nihil inutile, nihilq; perperam positum, sed quod in ipsis  
rerum obtinet argumentis, accipient. 4. Quod priore <sup>2. Secun-</sup>  
tempore vix post quadriennium prioribus contingebat, <sup>da.</sup>  
ut tunc constitutiones Imperatorias legerent, hoc vos  
à primordio ingrediamini, digni tanto honore, tantāq;  
reperti felicitate, ut & initium vobis, & finis legum  
eruditionis à voce principali procedat.

### 1. Divisio Institutionum.

4. Igitur post libros quinquaginta Digestorum, seu <sup>Forma.</sup>  
A 3 Pan-

*Forma.* Pandectarum, in quibus omne jus antiquum collectum est quod per eundem virum excelsum Tribonianum, nec non cæteros viros Illustres & facundissimos confessi, *descriptio* cimus: ) in quatuor libros easdem Institutiones partiri institutio- jussimus, ut sine totius legitima scientia prima elementa. num adde.

*1. Quid in Institutionibus contineatur.*

*§. i. vers.* 5. Inquisibus breviter expositum est, & quod antea itaq; in obtinebat, & quod postea desuetudine inumbratum, proœm. Imperiali remedio illuminatum est.

*Materia.* *1. Ex quibus libris compositæ sunt Institutiones:*

*atq; earum recognitio, & confirmatio.*

*Confr-*  
*matio.* 6. Quas ex omnibus antiquorum Institutionibus, & præcipue ex Commentariis Caij nostri, tam Institutionum, quam rerum quotidianarum, aliisq; multis Commentariis compositas, cum tres viri prudentes prædicti nobis obtulerunt: & legimus, & recognovimus, & plenissimum nostrarum constitutionum robur eis accommodavimus.

*2. Adhortatio ad studium juris.*

*Guberna-*  
*tio Reipub-* 7. Summa itaq; ope, & alaci studio, has leges no-  
*licæ est* stras accipite; & vosmetipsos sic eruditos ostendite, ut  
*ultimus* spes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere per-  
*juriupru-* fecto, posse etiam nostram Rempublicam, in partibus  
*dentiæ finis* ejus vobis credendis gubernari, D. CP. XI. Kal. Dec.  
D. JUSTINIANO, PP. A. III. COS.

*Ad Proœmium Institutionum Imp. Autores*

Ad explicationem primæ partis hujus Proœmii, & ut scias qualis debeat esse Princeps, quibusq; dotibus exornatus: vide Pirrum de Mag. Romano, Restaurum Castaldum de Imperatore. Martinum Laudensem de Principibus. Aristot. i. Eth. Cic. pro Lege Maniliâ Stobæum in sententius, sermone

sermonc 45. Pro explicatione secundæ partis, in quā trā-  
Etatur de confectione Institutionum lege tres Epistolas  
Justiniani Digestorum operi præfixas. De methodico  
& compendioso studio lege methodum Duarenī. At de  
officio auditoris, ejusq; exercitio, ut summā ope, &  
alacri studio conatus ejus procedat, vide Plutarchum,  
*de officio auditoris, & librum de exercitatione juris diversorum  
autorum.* Vid. Cuiac. lib. 4. Obs. c. 22. Constantinus Lan-  
dus, enarrationum in tiz. de J. & J. c. 3. ad §. Imperatoriam  
ex professo scripsit Johan Rodin Hispanus, ad §. i. Forca-  
tulus Reciomant. dialog. 37. Contius lib. 1. lect. subcīs. c. 7.  
ad §. 3. Crinitus lib. 10. de honestâ disciplinâ c. 12. ad §. 7.  
Rainaldus Corsus, indagat, lib. 2. cap. 13. Petr, Gilken.  
in lib. V. Aristot. Ethicor.

### Notæ.

Proæmium est origine Græcum, & descendit à ὁρῳ  
& οἴην, quod teste Heschio idem, quod ὠδὴ i.e. cantus non  
ab οἴμῳ via. Commodè autem dividì potest in Inscripti-  
onem, proæmium ipsum & Epilogum.

De invocatione: IN NOMINE DOMINI vide  
Nov. Leo. 1. Nov. Justin. 8. & 85. pr. 1. Corinth. 10. v. 31. Co-  
loſ. 3. vers. 17. c. in nomine Domini. 1. Dist. 23. c. non obseruetis  
17. caus. 26. q. fin. C. non licet. 3. caus. 26. q. s. c. 16. verbo Deo  
autore Dist. 50. c. 1. caus. 13. q. 6. & Dist. 26. Demosth. Ep. 1.  
Radulph. Forner. rer. quotid. lib. 6. c. I. Esaia 30. vers. 20. 21.  
Eadem inscriptio habetur. in l. 1. C. de officiis praf. Afric.  
& l. 1. pr. L. 2. pr. C. de V. J. Enuel. Quæ autem sequuntur,  
pro descriptione imperialis culminis ponuntur. Vide  
etiam Alciat. lib. 9. πολεγύων c. 6. ubi multa exempla Ethni-  
ca ponit.

IMPERATOR) Vid. Agathiam lib. V. quem allegat  
Grotius in Flor. spars. p. m. 3. FLAVIUS. Vid. Jacob.  
Raavar.

Ravar. conjectan. lib. 3. c. 17. FRANCICUS.) Gravissime  
tulit Theodibertus Francorum Rex, quod Justinianus,  
velut devicta Francorum gente Francici sibi titulum  
sumeret. Post hujus constitutionis tempora etiam  
Langobardicum & Gepidicum se dixit, quod eas quoq;  
gentes irritavit. Vid. d. Agathias lib. 11. PIUS) Ab Anto-  
nino Pio, ipso Justiniano fatente: Nov. 78. c. 5.

Cupidæ legum juventuti) cum juvenes dociliores  
sint senibus L. 37 ff. de Ædil. Edict.

Ad pr. vid. l. 14. C. de advoc. diverso judic. Libanius ora-  
tione adversus Magistratum Aſſeſſores.

Calumniantium) quid sit propriè calumniari. Vid.  
in l. 1. § 1. ff. ad SC. Turpil. Borcb. hic.

Juris Religiosissimus) L. unam ex familia: 67. §. fin.  
D. de leg. 2.

§. 1. Africa) Nov. 37. vid. Procop. & Hottom. in vita  
Justin.

Ad §. 3. magnifico Magistro. Alibi magistro offi-  
ciorum v. l. 2. C. de V. J. Enucl. pref. D. §. 3.

Ad §. 4. Gloss. in §. 4. J. Q. M. T. J. & secund. Job. Fabr.  
in rubr. J. de Actio. & Quintil. lib. ult. c. ult. divisio omnia  
clariora, breviora, & faciliora reddit. v. l. 86. §. 1. ff. de  
leg. 2. Speckhan. de difficultate Juris Rom. p. 59. 60. l. 1. ff. de  
Except. Dol.

§. 6. Tres viri prudentes) Tres enim faciunt colle-  
gium, per l. 85. ff. de V. S. Rævard conj. lib. 3. c. 19.

Ad §. 7. refer. l. 2. §. 19. vers. has itaq; C. de V. J. Enucl.  
Nihil vero hic de libris Noveilarum constitutionum  
Justinianus loquitur, quia editæ fuerunt post hos libros,  
& inplerisq; juri, quod ejusdem libris tractatur, dero-  
gant. Chaffan. in parat. hic p. m. 2.

INSTI-

INSTITUTIONUM SEU ELE-  
MENTORUM D. JUSTINIANI  
SACRATISSIMI.

Principis

LIBER. I.

DE JUSTITIA ET IURE.

TITULUS I.

§. Definitio Justitiae

Justitia est constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi.

§. Definitio Juriſprudentiae

1. Jurisprudentia est divinarum atq; humanarum rerum notitia, ju-  
sti atq; injusti scientia.

§. De juris methodo

2. His i. igitur generaliter cognitis, & incipientibus nobis expone- 1. Metho-  
re jura populi Romani, ita videntur posse tradi commodissime, si primo dus.  
levi ac simplici viâ, post deinde diligentissimâ atq; exactissima interpre-  
tatione singula tradantur, 2. Alioqui si statim ab initio rudem adhuc & 2. Ratio  
infirmum animum studiosi, multitudine ac varietate rerum oneraveri- methodi.  
mus: duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus: aut cum  
magno labore, sâpe etiam cum diffidentia (quæ plerumq; juvenes aver-  
tit) serius ad id perducemus: ad quod leviore viâ ductus, sine magno 1. Positio-  
labore, & sine ulla diffidentia, maturius perduci potuisset.

§. Juris præcepta.

3. Juris præcepta sunt hæc: Honeste vivere, alterum non lædere, ci.  
jus suum cuiq; tribuere.

§. De jure publico & privato.

4. Hujus i. studii duæ sunt positiones, Publicum & privatum. 2. Pu- 3. Definitio  
blicum Jus est quod ad statum rei Romanæ spectat. 3. Privatum, quod 4. Dicendū  
ad singulorum utilitatem pertinet. 4. Dicendum est igitur de jure pri- esse de jure  
vato, 5. quod tripertitum est: collectum est enim ex naturalibus præce- privato.  
ptis, aut gentium, aut civilibus.

B

Auto- 5. Partes  
juris pri-  
vati.

## *Autores qui de hoc titulo scripserunt*

De *Justitia & jure* eleganter & eruditè scripsit *Franciscus Connarus* lib. 1. c. 2. & 3. *Christophorus Ehemius* in lib. de *Principiis juris*. *Guilielmus Rovillanus de Justitiâ & Injustitiâ*. *Nicolaus de Clemengiis de lapsu & reparatione Justitiae*. *Ulpianus de Zanis & Ferdinandus Zoares. Rainerius. Corfus. lib. 1. c. 11. & lib. 2. c. 14. Coras. lib. 2. Miscellan. c. 18. De fine vero juris & ipsâ Jurisprudentiâ vid.* *Gammerum de scientiâ juris*. *Fortunatum Garteani de ultimo fine juris*. *Dom. Soto de J. & J. D. Lessus de J. & J. & recenter de Justitiâ Vulneratâ D. Nathan. Spormacher 1646. Coloniae.*

## *Nota initia lumen.*

Cujacius paulò aliter hanc inscriptionem legit, h. m. D O M I N I N O S T R I J U S T I N I A N I P P. A. Institutionum sive Elementorum per Tribonianum virum magnificum, Magistrum & Exquæstorem sacri Palatii, & Theophilum & Dorotheum, Viros Illustres & Antecessores Lib. I. & ita in sequentibus tribus libris.

Ad inscriptioem adde Lib. 1. | D. b. tit. tit. 2. ff. d. O. J. Proœm. ff. & C. Ad generalia pertinet etiam t. 3. & 4. ff. neq; etiam negligi debent tituli à 9. usq; ad fin. lib. 1. D. Quomodo Jus dicatur à *Justitiâ eleganter deduxit. Andreas Vallenfis in paratit. Decretal. in proœm.*

Ad pr. adde l. 10. ff. h. t. & l. 31. §. 1. ff. *Depos. Nov. 69. in pr. Hic non genus proximum ponitur quod est Virtus. Interim bene hic posuit voluntatem vid. Aristot. 2. Eth. c. 3. lib. 3, c. 7. Thom. Aquin. in summa d. 1. Eth. c. 5. & 6. Nam & vetus Paraphrastes ad V. Nicom. c. 1. De *Justitiâ agens*, inquit:*

Εἰς ω δικαιοσύνη καὶ αδίκια, ὡς τὸ πῶ ἔξις ἀφ' ης βελόμεθα τῷ δικαιᾳ. καὶ ἔξις ἀφ' ης & βελόμεθα. Δεῖ γῳ τωστησάται αἱ ταῖς αρεταῖς τῷ βέλεσθαι, καὶ ἀδύνατον ἄλλως αὐτὰς σερατῆναι. Διὰ τὸ βέλεσθαι γῳ σωφρενεῖ καὶ δικαιοπεγχεῖν ὁ δίκαιος, καὶ ὁ σώφρων γίνεται, Επὶ μὲν γῳ τῶν ἀπισημῶν καὶ δυνάμεων, τὸ δύνασθαι μὲν ἀναγκαῖον, τὸ βέλεσθαι γῇ ἐκ ἀναγκῶν. Εἰ γάρ τις δύνατο ὑπάγειν iατρός εἴη. Τὴν γῳ ἔξιν τῆς iατρικῆς ὡδὲν καλύπτει τὸ μὴ βέλεσθαι. Θροίως γῇ καὶ τῶν ἄλλων. Επὶ γῇ τῶν ἡθικῶν ἀνάπταται γέχει; Τὸ μὲν γῳ δύνασθαι δίκαια τεχνήν δυνατόν εἴη καὶ τῷ ἀδίκῳ πλά-

τολλάνις Τὸ δὲ έργον μόνον εἰσὶ δίκαιοις, οἵτε δίκαιοις εἰσὶ καὶ  
οἱ μὴ δυνάμεθαι μηδὲ περιέχει τὰ δίκαια, βελόνηθαι δὲ οὐκέτι. ἔξιν  
ἔχουν δικαιούσιντος; τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον γαῖ οἱ ἄδικοι ἔχουν: Sunto  
igitur Justitia & Injustitia, ut ruidus rem delineemus, affectio animi  
quā justa volumus, & affectio animi, quā justa non volumus. Nam vir-  
tutibus ad mores pertinentibus adjici semper debet voluntas: Neque ali-  
ter describi possunt: nam eo ipso quod quis vult temperanter aut justè  
agere, justus existit, aut temperans. In scientiis sane & facultatibus  
posse requiritur. Nam si quis possit sanare, medicus est. Nihil enim  
constitutionem illam medici impedit, non velle. Idemque & in aliis  
evenit facultatibus. At in virtutibus circa mores aliter se res habet.  
Nam evenire solet, ut possit justa agere etiam injustus. At velle id ipsum  
non nisi justi est hominis. Quare justus erit aliquis etiam si justè agere  
non possit, modo velit, & affectionem justitiae habeat. Parique modo se  
habet injustus.

Recte etiam additur voluntati, i.e. voluntatis affectioni, constantis  
titulus. Nam idem ille Aristot. *Interpres ad 2. Nicom. c. 4.* sic ait: Τόπι  
δὲ ἔργον δίκαιοις εἰσὶν περιέχει τὰ δίκαια γνώσκων ἀπεριέχει. Εἴπειτε,  
τὸν περιέχει μηδὲ αὐτὸς περιέχει, καὶ τοῖτον εἰ βεβαιώσετε αὐτοῦ  
κινήτως ἔχει περιέχει τὸν περιέχειν. Fatendum interim est, hanc defini-  
tionem, ut plerasq; Jurisconsultorum, talem esse ut rem non male ex-  
primat, nontamen exactam ad Dialecticam subtilitatem. Ubi autem  
definitiones sunt non nominatio genere proximo, eas οὐρσυμέτρες οὐπέρ-  
ειλαντας definitiones transfluentes vocat Aristot. 6. Top. c. 3. Plura  
vid. apud Hug. Grot. *in flor. Spars.* ad tit. p. m. 7. 8. & 9, 10, 11.

Ad §. 1. vid. prædictum Grotium p. m. 11. & 12. Bene autem distinxit  
Ulpianus & ex eo Tribonianus notitiam & scientiam, γνῶσιν & Πρᾶγμα-  
μην. Nam Jurisconsulto sufficit res divinas humanasq; (de quibus li-  
bros Varro scripserat) nosse aliquatenus propriè autem ac peculiariter  
exacteq; nosse, i. e. scire debet justum injusto quid intersit. Vid. etiam  
Bachov. *ad h. §. p. m. 4. & 5. in J. Johann. Ramum ad 3. prio. Ep. D. præf.*  
*in J. p. m. iii.*

Ad §. 2. v. l. 1. §. n. *in fin.* & l. 2. §. n. C. de V. J. Encl. l. un. C. de nud.  
jur. Quirit. tollend. Adde Quintil. lib. 8. *in init.* Grot. d. lib. p. 12. & 13. vid. §. 3.  
de Legat. & §. 7. J. de fideic. hered. §. 3. J. de legit. agnat. success. §. 2. *in fin.*  
J. de

*J. de Actio. §. 12. J. de Public. judic. Aristot. lib. 4. Polit. c. 1. in pr. Columell. lib. 1. de re Rust. in proœm.*

Ad §. 3. Jurisconsulti munus triplex. v. l. I. §. 1. & l. 10. ff. h.t. Hæc præcepta Logicis vocantur orationes ἀπαρέμφαται i.e. infinitæ. Ammonio Σχολικαῖς: Cum in omnibus disciplinis sint quædam primæ notiones, è quibus cæteræ velut è fonte manant quas Philosophi vocant Principia seu autoramenta, quia doctrinâ non indigent & per se nota sunt, referente Aristot. 7. Eth. c. 8. Jureconsulti vocant præcepta, inde forte, quod legis virtus est, imperare, vetare, permittere, punire. l. 7. ff. d. LL. Lex jubet honesta. c. erit. 2. Disp. 4. l. 197 ff. de R. J. vetat autem contraria. i.e. non honesta. Cic. Philip. II. Job. Ram. d. lib. p. m. 128. vid. Clem. Alexand. lib. 6. Strom. Difficilis sane & ardua, quæstio est, Quid sit honestum? teste L. Danæc. I. Eth. Christ. c. 9. in pr. vid. quid de illa sentiant Dd. in l. non omne 144. & l. 188. ff. de R. J. vid. Job. Ram. in Enchir. axiom. 6. & 9. P. Gregor. 2. meth. jur. c. 9. Cic. I. offic. in pr. ibi: Nulla vitæ pars. Aristoteles apertius s. Eth. c. 5. l. 42. ff. d. R. N. Vid. Frid. Tilem. Disp. Pand. I. §. 31.

Ad præceptum secundum, addel. 74. & 155. ff. de R. J. Non autem dicitur alterum lædere, qui injuriam sibi illatam propulsat, nam jure hoc evenit, ut quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimet. l. 3. ff. h.t. Et vim vi re pellere omnes leges, omniaq; jura permitunt. l. 12. ff. Quod met. caus. l. 4. & 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. Vid. Job. Borcholt. hic in J. Bachov. etiam.

Ad tertium præceptum refer l. 206. ff. R. J. Plato dicit: τὰ ὁρεῖσα διδόναι. Arist. lib. 4. Polit. c. 4. Lit. F. Αὐτοκαίσαρεν εἰναι πρὸ σποδῶν τὰ ἡ κερνοῦντα τὸ δίκαιον. Et V. Polit. c. 9. in pr. dicit. Τέλα δέντα γένηχεν τὸ μέτλοντας ἀρξάντας κυρίας δέχας. Πρῶτον μὲν φιλίαν τὸς τὴν καρδεῶν πολιτείαν. Ἐπειτα δύναμιν μετίστη τὰν ἐργαντῆς δέχης, τοῖτον δ' ἔργετην καὶ δικαιούντην ἐν εἴκασῃ πολιτείᾳ τὴν τὸς τὴν πολιτείαν.

Ad §. 4. Grot. in flor. Spars. p. 14. ubi eleganteim allegat Demosthenis locum, item Plin. lib. 8. & 14. Gell. lib. 10. c. 20. Arist. lib. 5. Eth. c. 19. Bach. ad h. §.

Publicum est.) De hoc maximè agitur in lib. X. XI. & XII. C. & in so. D. t. & in aurea bullâ Caroli IV. Quo etiam referuntur Capitulationes, item magna pars Recessuum. Imprimis v. constitutio Religiosa, & transactio Passavensis 1555. inita.

Privatum) quod & autoritate quoq; publicum est, quia vim suam omnem à Principe & Republicâ obtinet. Chassan. in paratit. J. p. m. 3.

8(0)90







the scale towards document

applicationē secundāe partis, in quā trā-  
iōne Institutionum lege tres Epistolas  
orum operi præfixas. De methodico  
tudio lege methodum Duarenī, At de  
, ejusq; exercitio, ut summā ope, &  
atus ejus procedat, vide Plutarchum,  
& librum de exercitacione juris diversorum  
iac. lib. 4. Obs. c. 22. Constantinus Lan-  
tinus de J. & J. c. 3. ad §. Imperatoriam  
sit Johan Rodin Hispanus, ad §. i. Forca-  
latalog. 37. Contius lib. 1. lect. subcīf. c. 7.  
lib. 10. de honestā disciplinā c. 12. ad §. 7.  
s. indagat, lib. 2. cap. 13. Petr. Gilken.  
bīcor.

### Note.

st origine Græcum, & descendit à Ἀριστοτέλῃ Hesychio idem, quod ἀδηνί i.e. cantus non  
nmodè autem dividi potest in Inscri-  
tum ipsum & Epilogum.

ne: IN NOMINE DOMINI vide  
Iustin. 8. & 85. pr. 1. Corinth. 10. v. 31. Co-  
nomine Domini. 1. Dist. 23. c. non observertis  
C. non licet. 3. caus. 26. q. s. c. 16. verbo Deo  
caus. 13. q. 6. & Dist. 26. Demosth. Ep. 1.  
r. quotid. lib. 6. c. 1. Esaiæ 30. vers. 20. 21.  
o habetur. in l. 1. C. de officiis pref. Afric.  
c. de V. J. Enuct. Quæ autem sequuntur,  
imperialis culminis ponuntur. Vide  
παρεργῶν c. 6. ubi multa exempla Ethni-

DR) Vid. Agathiam lib. V. quem allegat  
rs. p. m. 3. FLAVIUS. Vid. Jacob.  
Ravar.

Image Engineering Scan Reference Chart T203

Patch Reference numbers on UTT

Serial No.